43

EPISTOLA


PASTORALIS

AD

CLERUM, ET POPULUM

UNIVERSÆ DIŒCESIS

ASTENSIS



ROMÆ

EX TYPOGRAPHIA PETRI AURELJ

1832.

MICHAEL AMATOR LOBETTI

DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

EPISCOPUS ASTENSIS ET PRINCEPS

VENERABILIBUS FRATRIBUS, AC FILIIS IN CHRISTO DILECTISSIMIS, DIGNITATIBUS, CANONICIS, CLERO, OPTIMATIBUS, ET POPULO SALUTEM, ET BENEDICTIONEM.

Augustissimi, et invictissimi REGIS NOSTRI CAROLI ALBERTI benignitate quam maxima, SS. D. N. GREGORII XVI. P. M. auctoritate, et gratia ad multis nominibus praeclarissimam Astensem istam Episcopalem Sedem evecti, nihil Nobis jucundius, Venerabiles Fratres, et Filii in Christo dilectissimi, quam primas vobis, ipsa nostrae Consecrationis die, proferre salutationes, et animi nostri sensus, quibus intime afficimur, sincerissime aperire.

Difficile dictu quanta Nos turbatio perculserit, dum ad onus ipsis Angelicis humeris formidandum novimus Nos esse delectos. Terrebat summopere Nos Paulus Apostolus, qui non solum criminis expertem, sicut Dei dispensatorem, sed virtutum omnium spectabilem praedicat Episcopum esse oportere; tum illud S. Augustini animo versabamur praeclarissimum dictum. „ *Ne ad ima dejiciar, cum ad sublimia ascendam.* „

Verum in tanta animi fluctuatione exorata Nobis Divina clementia non defecit, Nosque erigebat, ac solabatur de OMNIPOTENTI DEO RECORDATIO, qui fortiter omnia, suaviterque disponit, qui, dum vocat, dat vires, qui ad Potentiae suae manifestationem quae infirmiora sunt eligit quandoque ad sublimiora perficienda, et potens est omnem gratiam abundare facere, ut opus bonum confirmet. Si ergo impares meritis, virtutum inopes, et Nostrae infirmitatis probe conscii tantae vocationi non sine timore, ac tremore adhaesimus, Nos falli non arbitramur, dum in piissimi Regis Nostri designatione, et in Pontificis Maximi voluntate, et electione ipsius aeterni animarum omnium nostrum Pastoris Christi voluntatem conspiciamus, ac teneamus.

Quapropter nihil cordi Nostro gratum magis, quam ut citius veniamus ad Vos, et animo lubenti ministerium Nostrum impleamus. Benedictus Deus, et Pater Domini Nostri JESU CHRISTI, qui Dioecesim Nobis concredere voluerit, quae spiritu caritatis, doctrinae, et Ecclesiasticarum, ac civilium rerum observantia praelucet. Laetamur certe, et quasi oculis jam conspicientes inclytam Civitatem istam, quae nunc Nobis patria adoptionis est data, Nobis ipsis jure, ac merito gratulamur, quoniam ingenii vestri indolem probe novimus, Venerabiles Fratres, et Filii dilectissimi, novimus mores, et, quod gravius, novimus commune Religionis studium, ac pietatis amorem, quem semper habuistis, et fovere satagitis memores Praepositorum vestrorum, qui virtutis, ac doctrinae laude Cathedram istam illustrarunt. Hinc enim fieri nequaquam potest, quin Nos, qui ceteroquin cum Illis nul-

lo modo sumus comparandi, alacrius munus Nostrum auspiciemur, et expeditius eodem Nos fore perfuncturos confidamus.

Quae cum ita se habeant, in primis Vos alloqui summopere gaudemus, Venerabiles Dignitates, et Canonici Cathedralis Ecclesiae, fratres Nostri perdilecti, nostrae sollicitudinis socii, gaudium, et corona nostra. Compertum Nobis est, quanta pietatis, doctrinae, ac virtutum laude fulgeatis. Agite ergo, Venerabiles Fratres, luceat lux vestra coram hominibus, digne ambulate, contendentes placere Deo per omnia, et fructificantes in omni opere bono. Supra omnia autem mutuam in Vobis caritatem habete, quod est vinculum perfectionis, et facti forma gregis ex animo is, qui ex adverso est, vereatur nihil habens malum dicere de nobis.

Nec Vos silentes praeteribimus, insignis Ecclesiae Collegiatae Canonici, a quibus etiam in Nostro regimine maximum Nobis praesidium pollicemur. Quantum verbis, opere, exemplo, ac pietate praestetis, quanto religionis studio cum gaudio accepimus, nec uberrimos fructus Nos latent, quos per Vestros labores caelesti Patrifamilias profert Astensis Ecclesia. Vos ergo, quibus Inclyti CHRISTI MARTYRIS, Civitatis, totiusque Diaecesis Patroni Principalis SANCTI SECUNDI sacrarum exuviarum custodia est concredita, satagite, ut erga amantissimum hunc Protectorem Nostrum populorum pietas, ac devotio in dies augeatur, et ut Ipse propitius pro Nobis apud misericordiarum Patrem intercedat, ut gratiam apud Deum, et quae reposita sunt bona his, qui diligunt eum, consequi valeamus.

Jam nunc ad Vos sermo noster properat, electi animarum Rectores, Fratres, Adjutores Nostri carissimi, quorum compertum est quanta sit caritas, quanta patientia in pascendo eo, qui in vobis est, grege Christi, quo studio, quanta cura, ac sollicitudine creditarum ovium instetis saluti. Vos estis, qui in excolenda vinea Domini Sabaoth portatis quotidie pondus diei, et aestus, et in vobis quam plurimum confidimus, gratias agentes Deo pro vobis, et eum orantes, ut caritas vestra magis ac magis abundet, et Ipse det vobis cor ad perficiendum omnia in ministerio, in quo estis, sancto.

Sed et de Vobis gaudemus Sacerdotes omnes, et Levitae quicumque in sortem Domini vocati estis, scientes conversationem vestram. Vos ergo, regale Sacerdotium, lapides sanctuarii, et dispensatores Mysteriorum Dei, vitam, moresque ita componatis, ut habitu, gestu, incessu nihil, nisi grave, moderatum, ac Religionis, et pietatis plenum praeferatis, sicque fiet, ut homines videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est.

Et ad Vos convertemur, carissimi filii Astensis Seminarii alumni lectissimi, Ecclesiae Nostrae spes, ac Diaecesis ornamentum. Pupilla oculorum nostrorum vos estis. Omnem operam impendere non recusabimus, ut vestrae utilitati prospicere toto animo valeamus. Vobiscum erimus saepe, et utinam vester discendi ardor haud impar fiat, vestra morum integritas, et Ecclesiasticae disciplinae observantia perseveret, proficientes de die in diem in scientia, et pietate!

De vobis quoque audivimus, Religiosorum Ordinum Regulares, quos praecipuo amore complectimur. Superabunda-

mus gaudio super Vos, cum nota sit modestia, fides, et pietas vestra, et quam forti, alacrique animo Patrum vestrorum vestigia sequentes Christi bonus odor efficiamini. Segregati a tabernaculis peccatorum, et a saeculi sollicitudinibus remoti in tranquillitate spiritus Domino servite expectantes beatam spem, et adventum gloriae magni Dei, et Salvatoris nostri JESU CHRISTI.

Paterno jam potius affectu, quam imperio Vos alloquimur, Virgines Sacrae Deo devotae, quarum quo major caritas, ut ait D. Cyprianus, sublimior et cura est. Vos columbae latentes in foraminibus petrae, in caverna maceriae, vos gemebundae turtures, quarum vox audita est in terra nostra, sequimini agnum quocumque erit. Vos quidem, paterna relicto domo, optimam partem elegistis, quam nemo tollet a vobis. Vos ergo perfundite voluptate corda vestra, et pace fruimini beatissima, dumque terrena calcantes a celsiori veluti loco humanarum rerum intuimini vicissitudines turbulentissimo motu se se volutantes, supplices ad caelum puras tollite manus ut Deus patiens, qui, etiam cum iratus fuerit, misericordiae recordatur, auferat omne malum a nobis, et Ecclesiam suam, quam acquisivit Sanguine suo, semper muniatur, et protegat. Vigilate autem lucernas semper ardentes in manibus tenentes, ut, quacumque hora supervenerit Sponsus, intretis cum eo ad nuptias.

Maxima sane afficimur laetitia et pro Vobis, Proceres, et Optimates, ac quotquot estis in saeculo viri, ac mulieres Civitatis, atque Diaecesis cujuscumque status, cujuscumque gradus, quia sani in fide, in dilectione, in patientia, inte-

gri, misericordes, ambulantes in caritate Dei; mulieres quoque prudentes, castae, sobriae, domus curam habentes, benignae, subditae viris suis, quae viros amant, filios diligunt, adolescentulas docent prudentiam. Pergite ergo, filii carissimi, vos omnes suscipimus in visceribus JESU CHRISTI, thesaurizate vobis thesauros non deficientes in caelo, quo fur non appropiat, nec aerugo demolitur, neque tinea corrumpit. Diligite alterutrum, et pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras in CHRISTO JESU.

Ferventes interim fundantur preces apud Deum pro SS. PAPA NOSTRO GREGORIO XVI., quem fortitudine, et sapientia ditatum suscitavit Deus tanquam Moysen, et Aaron in salutem populi sui in tanta temporum nequitia ad regendam, ac tutandam Ecclesiam Sanctam suam, eamque invicto pectore ab hostibus defendendam. Tum et pro Eminentissimo S. R. E. Cardinali D. PLACIDO ZURLA Santissimi Domini Nostri in Urbe Vicario, Viro pietate, sapientia, ac benignitate clarissimo, qui Sacras Nobis manus imposuit, ut Deus omnipotens ad plures annos eum sospitet, ac servet incolumem.

Tum etiam oremus, ac preces nostras suscipiat Sanctissima, atque BEATISSIMA VIRGO MARIA, cujus Gloriosae in coelum Assumptioni Cathedralis Ecclesia est consecrata, tum et SANCTUS MARTYR SECUNDUS, qui alteri Collegiali Ecclesiae praeficitur, totamque istam suo sanguine commendavit. Oremus, inquam, pro piissimo, et Augustissimo Rege nostro CAROLO ALBERTO, qui tanta pietate, ac

justitia regit imperium, quemque populorum suorum Patrem dixerimus magis quam Principem, ut eum Deus quam diutissime sospitet, ac cunctis bonis repleat omni tempore; tum et pro religiosissima Regina nostra MARIA THERESIA FRANCISCA JOSEPHA, Augustaque Sobole, totius Regni gloria, decus, et spes; nec non pro pientissima Regina MARIA CHRISTINA, quae pietatem, et virtutes Regii amantissimi Conjugis sui, cujus consortio fuit cum tanto omnium subditorum moerore viduata, adeo aemulatur, et exprimit; sed et pro Augustissima MARIA THERESIA, totaque Regia familia, ut omnes, et singuli, qui in eadem sunt, superfundantur omni bono, et gaudio.

Obsecramus demum omnes Vos, Venerabiles Fratres, Filiique Carissimi, ut et pro Nobis Deum enixe exoretis, ut Sedium Suarum det Nobis Assistricem Sapientiam, quae nobiscum sit, et cum nobis laboret omni tempore, ut, Divina gratia adjuvante, tanto muneri pares esse possimus, ut commissum Nobis Gregem fideliter custodiamus, ac gubernemus, et Christo Domino Pastorum Principi salvum, et incolumem, atque immaculatum servare, et reddere valeamus.

Verbis tandem Apostoli finem facimus: *Desidero videre vos, ut aliquid vobis impertiar gratiae spiritualis, quae data est mihi per manuum impositionem. Os nostrum patet ad Vos, cor nostrum dilatatum est. Implete gaudium meum, et estote perfecti.*

Filii, obedite Parentibus vestris. Patres docete sanam doctrinam filios vestros, et nolite eos ad iracundiam provocare. Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus Ecclesiam:

Mulieres estote subditae viris in Domino: Nolite vos conformari huic saeculo, sed induimini JESUM CHRISTUM: Reddite unicuique quae debetis, cui vectigal, vectigal, cui tributum, tributum; cui honorem, honorem.

Vobis interim omnibus Pastoralem Benedictionem peramanter impertimur. *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et Charitas Dei, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.*

Dat. Romae extra Portam Flaminiam ipsa nostrae consecrationis die XVIII. Martii MDCCCXXXII.

IMPRIMATUR

Fr. Jos. M. Velzi Ord. Praed. Sac. Pal. Apost. Mag.

IMPRIMATUR

J. Della Porta Patr. Constant. Vicesg.